

ficiatorum; quapropter dicitur universaliter cum Azor. Castr. et Croix, quod clericus libere potest ex fructibus beneficii alere se et suos (1).

49. Quæstio est an pensionarius teneatur pariter erogare pauperibus fructus pensionis statui suo superfluos? Alii, ut Sanch. Mol. Salmant., distinguunt pro pensionis qualitate, si est laicalis, aut ecclesiastica (prout explicabitur n. 59.): negant si est laicalis; affirmant vero si est ecclesiastica, dicendo tunc pensionem transire cum eadem natura et onere fructuum beneficii. Nihilominus est satis probabilis sententia de Lugo Vasq. Covar. Azor., etc. quæ universe negat; et Azor. refert ita fuisse decisum a Rota romana; ratio est quia cum jam detracta sit pensio a fructibus beneficii, jam isti reperiuntur pie applicari; quæ de re nulla remanet obligatio illos applicandi de novo in opera pia. Et idem dicit Mastrius cum Bonac. de commendis equitum s. Joannis s. Jacobi, etc., quibus Greg. XIII. concedit testandi facultatem; sed in hoc contradicunt Azor. Navar., etc. (2). An autem beneficiati teneantur ad restitutionem, si fructus beneficii in usus vanos impendant, vide quod dictum est Tr. 10. n. 7. ubi etiam, n. 6. fuit sermo de diversis clericorum pecuniis, et de eorum facultate in disponendo de illis. Hic tantum superest advertendum, materiam gravem in hoc debere esse majorem quam in furto, ut communiter loquuntur dd. Coninch. et Castrop. qui requirunt tertiam aut saltem quartam partem fructuum beneficii; sed Lugo Croix, etc. hoc reprobant, et dicunt esse sufficienter gravem vigesimam partem, nempe quina in centena, si ipsa pars pertingit ad summam notabilem (3).

50. Quoad residentiam vero jam locuti sumus de Episcoporum et parochorum residentia Tr. 7. ex n. 14. et ex n. 62. Restat hic de residentia

(1) Ib. quær. 2. — (2) Ib. quær. 6. — (3) L. 4. n. 483.

clericorum, qui portionem habent in cathedralibus, aut collegiatis: hi ex Trid. Sess. 24. cap. 12. de ref. possunt abesse tres menses; et hoc tempore licet lucentur fructus præbendarum, non vero distributionum, quæ (hic obiter advertendum) non possunt a consociis remitti: *quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant*; ut loquitur Concilium (4). Cæterum quoad fructus præbendarum tribus illis mensibus, ille eos non amittit, licet inutiliter, et sine justa causa canonicus abesset, ut satis probabiliter dicunt Sanch. Pelliz, et alii, dum Concilium sine ulla limitatione canonicis permittit tanto tempore abesse. Advertatur tamen quod ex Dec. S. C. Conc. apud Jordan. Pax (5), canonici nequeunt in mensibus conciliaribus abesse diocesi, nisi de licentia Episcopi. Et hic notandum amplius Episcopum non posse conjungere tres menses anni præteriti cum tribus aliis anni sequentis, ut declaravit Benedictus XIV. in sua Bulla *Ad universæ* (6); sed hoc bene posse canonicos, dummodo (ait p. Concina) absit scandalum, et cultus divinus non minuatur.

51. Præcipit Tridentinum ibidem canonicos, qui ultra tres menses non resident, primo anno privari dimidia parte fructuum; quod si in absentia perseveraverint, privantur omnibus fructibus illius anni: *Crescente vero contumacia* (ait Tridentinum), *contra eos juxta sacrorum Canonum constitutiones procedatur*, nempe ad ipsorum beneficiorum privationem. Tenet Bon. (7) canonicos absentes pro illo absentiae tempore non privari ipso facto dictis fructibus, dicens quod decretum Concilii est poenale, ideoque exposcit sententiam. Nos non dubitamus quin sit poenale quoad restitutionem dimi-

(4) L. 3. n. 675. dubit. 2. — (5) Jord. Pax. Elucubr. l. 20. t. 40. n. 79. — (6) L. 4. n. 422. v. insuper. — (7) T. 4. d. 5. de onere benef. ad resid. punct. 4. n. 16. cum Macigno.

diæ partis fructuum totius anni; sed quoad fructus correspondentes ad absentiae tempus elapso trimestri conciliari, dicimus cum Salm. (1) eos non posse exigi, aut retineri, dum in concilio dicitur: *Privetur dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, et (nota) residentiae fecit suos*. Si igitur canonicus ratione residentiae facit suos fructus, consequens erit quod non residens non facit suos. Et hoc clarius explicavit Benedictus XIV. in brevi (quod in Bullario est appositum) cardinali Delfino directum sub die 19. Januar. 1748. ubi dixit canonicos non canentes in choro nullo pacto ex præbendis et distributionibus facere fructus suos, atque adeo restitutioni obnoxios esse. Igitur si non canens non acquirat fructus, tanto minus qui non assistit choro (2).

52. Causæ excusantes totaliter canonicos a chori assistentia sunt tres, *Infirmitas, rationabilis corporis necessitas, et evidens Ecclesie utilitas*, ut dicitur in c. un. de clericis non resid. in 6. Ita ut his stantibus causis, canonici non privantur nec fructibus, nec distributionibus. Excusat igitur 1. *infirmitas*, intelligitur gravis, aut ea quæ probabiliter potest gravis fieri. Hinc excusantur senes, si non possunt sine gravi incommodo adire, aut interesse choro. Cæci tamen tenentur interesse, si sine gravi incommodo possent adire ecclesiam; et ita pariter surdi, qui tamen supplex tenentur submisce recitando partem, quam non audiunt (3).

53. Excusat 2. *necessitas corporis*; quæ de re intelligitur excusare timor cujuslibet damni gravis. Ideoque excusantur, qui medicinas sumunt, aut ad balnea, aut ad salubriorem ærem proficiscuntur (4). Hic notatur 1. quod si quis fuerit injuste excom-

(1) De legib. c. 2. n. 62. — (2) L. 3. n. 675. dubit. 3. et l. 4. n. 436. — (3) L. 4. n. 429. dubit. 4. et 2. et n. 463. quær. 3. — (4) N. 130. v. 2. excusat.

municatus, aut suspensus, aut si ei injuste denegetur absolutio, et propterea choro non interest, hic nec fructus, nec distributiones amittit. Notatur 2. quod si ecclesia fuerit polluta aut interdicta, canonici, licet non assistant, lucentur utrunque, modo ipsi causam non dederint interdicto, aut ecclesiae violationi (5).

54. Hic dubitatur 1. an excommunicatus, etsi choro assistat, sit ipso facto privatus distributionibus, et fructibus? Affirmat p. Concina cum aliis, sed non improbabiler negant Sanch. Bonac. Castr. Salm., etc. quia licet ille peccet assistendo, et mereatur illis privari, attamen nullibi reperitur imposita talis privatio ipso facto (6).

55. Dubitatur 2. an irregularis sit privatus? Sed hoc dubium dependet ab illo alio, nempe an sola collatio beneficii facta irregulari sit ex se invalida? Si irregularitas fuerit incursa post collationem, certum est apud omnes eum non privari, ideoque canonicus irregularis qui interest, non privatur nec fructibus, nec distributionibus. Quæstio igitur est, an sit nulla provisio, cum irregularitas ante illam incursa fuerit? Negant Castrop. Ronc. Elbel, Salm., etc.; sed probabilius affirmant Bonac. Tourn. Concina, Holzm. et alii communissime. Et probatur 1. ex cap. 1. de cler. pugn. in duello, ubi dicitur: quod potest dispensari cum clerico irregulari, ut beneficium recipiat; itaque sine dispensatione est incapax. Probatur 2. ex Trident. Sess. 22. c. 4. de ref. ubi sic dicitur: *Non fiat provisio nisi is quæ ætatem, et ceteras habilitates habent; alias irrita sit*. Nec dicatur hic loqui de habilitate de jure naturali, non autem positivo, nam respondetur quod ætas utique est de jure positivo, ideoque *To ceteras habilitates* debet intelligi de habilitatibus tum de jure naturæ, cum de positivo. Quare probabilius, imo verius irregularis non (5) N. 430. v. quando. — (6) Lib. 4. n. 130. v. cum autem.

potest beneficii fructus lucrari (1).
 56. Excusat 3. *ecclesie utilitas*; intelligitur modo sit gravis Episcopi aut capituli iudicio; intelligitur non tantum utilitas ecclesie proprie, sed etiam ecclesie universalis, aut diocesis, ut communiter dicunt Concina, et Salmant. cum Pelliz. Castropal. Bonac., etc. contra Holzm. qui non admittit bonum ecclesie universalis; sed immerito quia istius bonum est præstantius, et in bonum particularis etiam confert. Propterea non carebit nec fructibus, nec distributionibus 1. canonicus qui Romæ, aut apud principem degit ut jura sui beneficii (non autem jus proprium ad beneficium) patrocinetur, aut missus a capitulo negotiorum Ecclesie causa, aut missus ab Episcopo ejus nomine ad limina apostolorum visitanda; aut si Episcopus eum ducit secum (cum possit etiam duos secum ducere) ad præfatam visitationem: aut si fuerit in vicarium capitularem electus; si autem ab Episcopo sibi vicarius fuerit creatus, lucrabitur fructus, non vero distributiones (2). 2. Canonicus penitentiarius, si ipse confessiones excipit dum officium recitatur: *Trid. sess. 24. c. 8.* aut in confessionali expectat eos qui confiteri velint, ut dicunt Castr. Bonac. Concina. Ronc. Salm., etc. cum declaratione S. C. Et idem dicit probabiliter p. Concina. de canonico in locum penitentiarii suffecto aut de alio qui tempore concursus ad illum coadjuvandum missus fuerit ab Episcopo. Idem dicunt de canonico curato dum suo ministerio fungitur, Castr. et Conc. qui hoc admittunt (contra Bonacinam), licet ecclesia cujus curam habet, esset diversa, sed ipsius diocesis. 3. Canonicus theologus qui tempore officii docet, aut concionatur, aut concioni faciendæ vacat (3).
 57. Lucrantur vero fructus, sed non distributiones (nisi alia esset consuetudo, ut dicunt Pichler, et Con-

(1) N. 430. v. quæritur autem. — (2) Ib. v. 3. excusat. — (3) N. 431. v. sic pariter.

cina) 1. Canonici examinatores examinantes dum recitatur officium. 2. Visitatores diocesis. 3. Duo illi canonici quos sibi Episcopus adsciscere potest. 4. Canonici qui docent in scholis (aut student de licentia Episcopi per quinquennium theologie), ut habetur in *cap. in fin. Docentes, de magistris*; quod etiam extendunt communiter dd. cum *de elec. S. C.* etiam ad grammaticam, Castr. Ronc. et Salmant. qui rationabiliter extendunt etiam ad logicam, et philosophiam. Et etiam currit pro parochis qui docent, non autem qui student, ut dicunt iidem aa. (4).

58. Denique notatur quod quadrifariam beneficia amittuntur 1. morte beneficiati. 2. Sententia iudicis. 3. Renuntiatione. 4. Legis dispositione. Sed circa hos postremos modos oportet plura notare. Et 1. quoad renuntiationem, aut resignationem beneficii, oportet distinguere plura renuntiationum genera, quæ reperiuntur. Alia dicitur *expressa*; alia *tacita*, v. g. ob religionis professionem, aut hujusmodi. Alia est *pura*, sine ullo pacto, aut conditione; alia *conditionata*, nempe in alicujus favorem facta. Et hæc potest esse aut *simplex*, aut *qualificata*, nempe cum pensione, aut cum pacto iterum beneficium recipiendi, quæ dicitur *jus regressus*. Ad hoc ut hæc renuntiatione conditionata vim habeat, multa desiderantur: 1. ut beneficium jam a resignante sit acquisitum 2. Ut libere, non minis fiat. 3. Ut fiat manus Pontificis, 4. Ut a papa acceptetur, vel ab alio, qui potest illud admittere; et si renuntiatione est pura, ut sit valida, omnino acceptata esse debet saltem a collatore, ut habetur ex *cap. Admonet, de renunt. (5)*. 5. Ut acceptetur a resignatario. 6. Ut patrum consentiant. 7. Ut fiat cum clausula, *non aliter*, etc. 8. Ut, si renuntians sit infirmus, saltem post renuntiationem peractam, superstes sit per 20.

(4) Lib. 4. n. 431. v. sentiunt. et 432. — (5) Vide hæc et alia l. 4. n. 133. et sequ.

dies. 9. Ut renuntiatione publicetur in Curia Romana (1). Quod dicitur de renuntiatione, idem etiam currit pro beneficiorum permutatione. 2. Quoad ultimum, quod est legis dispositio, vi hujus ipso facto amittuntur beneficia ob matrimonium, ob religiosam professionem, ob alterius beneficii incompatibilis acceptationem, ut dictum fuit *num. 40*. Item amittuntur beneficia ob simoniæ facinus, et præsertim ob simoniam patratam ab examinatore synodalibus in beneficiis curatis; qui si aliquid accipiunt examinis contemplatione, tam ipsi, quam illi qui dederunt, inhabiles fiunt ad recipienda in posterum beneficia; et ipso facto privati existunt omnibus beneficiis quæ jam habebant; et hoc ante omnem sententiam, ut habetur ex *Trident. sess. 24. c. 18.* dum dicit Concilium, ab ea simonia *absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis*. Incurritur etiam privatio beneficiorum, etiam antea obtentorum, ob collationem simoniacam alicujus beneficii. Sed hic distinguenda sunt multæ species simoniæ: mentalis, conventionalis, realis, et confidentialis. *Mentalis* est, cum aliquis dat temporale cum intentione aliquem obligandi ad præstandum spirituale, aut e converso, sed nullo interveniente pacto. *Conventionalis* est, cum intercedit pactum; sed ex neutra parte executioni mandatum; neutri harum imposita est aliqua pœna. *Realis* autem est cum jam pactum est adimpletum; et huic ex Bulla S. Pii V. *Cum primum* 1566. præter papalem excommunicationem ipso facto imposita est pœna nullitatis collationis beneficii (ita ut ex *Extr. Pii IV. In sublimi*, sub die 5 maii 1662. simoniacus, si nollet beneficium omittere, absolvi nequeat); et adest præterea pœna privationis beneficiorum antea adeptorum; et inhabilitas ad alia in posterum adipiscenda. Sed juxta sententiam probabiliorum, et communiorem Nav.

1) N. 134 et 435.

Suar. Sanch. Laym. Anacl. Ronc. Croix, etc. præfata pœnæ non incurruntur, nisi simonia ab utraque parte perfecta sit; et hic est stylus Curie, ut testatur Nav. et alii (2). Et licet simonia sit completa, prædictæ duæ ultimæ pœnæ privationis, et inhabilitatis læsæ incurruntur, nisi post sententiam condemnatoriam, ut dicunt communissime Bonac. Castrop. Sanch. Laym. Filliuc. Salm., etc. (3), nam in nulla legum invenitur hæc pœna ipso facto. Nec obstat Bulla s. Pii, quia (ut dicunt præfati dd.) illa intelligitur suam habere vim in foro externo, cum dicatur ibi *quicumque convictus fuerit*; saltem in eo sensu est tantum recepta. Simonia *confidentialis* denique est cum aliquis renuntiat alteri beneficium cum pacto, ut hic postea retrocedat, aut renuntiet sibi, aut alteri, aut cum onere fructuum portionem sibi præstandi. Huic simoniæ confidentiali impositæ sunt eadem pœnæ, et insuper ex alia Bulla ejusdem s. Pii *Intolerabilis*. §. 3. sufficit ut simonia completa sit ab una ex partibus (4). At, quod spectat ad privationem beneficiorum, quæ jam erant obtenta, et inhabilitatem ad ea in posterum obtinenda, impositas expresse in citata Bulla *Cum primum*, saltem opus est sententia declaratoria delicti, ut dicunt probabiliter Cajet. Less. Sanch. Castrop. Spor. Mol. Salm., etc. contra Vasqu. Bonac., etc., (5). Observa etiam quod dictum est *Tract. 4. n. 51 et 52*.

59. Labet hic aliqua annotare circa pensionem de qua in præcedentibus numeris mentio facta est. Pensio est *jus exigendi aliquam partem ex beneficio alterius*. Ipsa triplex est: temporalis, spiritualis, et media. *Temporalis*, sive *locatis* est illa quæ datur sæcularibus, aut clericis ob aliquod temporale manus, v. gr. procuratoris, advocati, cantoris, etc. *Spiritua-*

(2) L. 3. n. 406. v. quær. 1. — (3) N. 412. v. quær. 3. — (4) Lib. 3. n. 406. quær. 1. — (5) N. 412. quær. 3.

lis, sive *Ecclesiastica*, est illa quæ datur ob aliquem spiritualem titulum, ut prædicatoris, coadjutoris parochi, etc. *Media* autem est illa quæ non datur ob aliquod munus spirituale, sed est fundata in aliquo titulo spirituali, ut est illa quæ datur ad sustentationem parochi senis, clerici pauperis, etc. (1). Notandum 1. quod pensio super beneficium quomodolibet sit, debet a Papa designari. An autem Episcopus possit assignare pensionem in certis casibus necessariis, v. g. ad lites componendas, aut ad compensandam æqualitatem in beneficiis per mutationem, aut ad succurrendum (ut dictum est) paupertati alicujus clerici; alii hoc admittunt cum *Busem. ex c. 21. de præb. cap. 3. de Coll. et cap. Aqueductus, de rer. permut.* Sed Lessius, et Salm. negant dicentes hoc esse Pontifici reservatum, juxta stylum Curie romanæ, qui facit legem (2). Notandum 2. pensionem debere esse moderatam, adeo ut tertiam partem beneficii redditum non excedat (3). Notandum 3. quod, cum beneficium est juris patronatus, requiritur (ut dictum est num. præcedent.) consensus patroni ad renuntiationem, cum est conditionata, secus vero ad pensionem; ita Lessius, Busemb. et alii (4). Notandum 4. quod pensionarius, si recipit pensionem uti clericus (non autem uti laicus), tenetur ex Bulla s. Pii V. ad recitandum officium B. Virginis, et omittendo illud fructus non facit suos. Illi tamen qui officium majus recitant excusantur a tali onere; et equites Ordinum Militar. satisfaciunt aliis precibus a religione impositis, ut commune est apud omnes dd. (5).

60. Notandum insuper (loquendo de clericis in generali) 1. vetitas esse clericis artes viles, ut hospitis, lanii,

(1) L. 4. n. 437. — (2) Vide hæc, et alia l. 3. n. 74. et seq. — (3) L. 4. n. 438. ad 2. — (4) L. 3. n. 73. et l. 4. n. 438. ad 3. — (5) L. 3. n. 74. v. sed notand. et l. 4. n. 438. ad 4.

gestulatoris. Vetitum est etiam profiteri chirurgiam in morbis, ubi incisione aut adustione opus est, modo alius idoneus non desit (6). Hoc tamen solum vetitum est clericis in *Sacris*, ut habetur ex *cap. Sententiam, ne clerici*, etc. non autem beneficiatis, ut recte dicunt Bon. Mol. Tournely, Pontas, etc. (7). 2. Ordinatis in *Sacris*, et beneficiatis vetita sunt muria iudicis in criminalibus, et etiam in civilibus in foro sæculari; *cap. Sed nec 4. Nec cler. vel mon. et advocati in foro sæculari; c. Multa 1. eod. tit. et can. Cler. de post* ubi interdicitur ministris altaris, beneficiatis, et monachis, in *placitis sæcularibus disputare, excepta defensione orphanorum, aut viduarum*, ut dicitur in dicto *cap. Multa*. Et excipitur etiam, si defenderent aliquam causam propriam, aut consanguineorum intra quartum gradum qui defensores non invenerint. Clerici tamen in *Minoribus* licite possunt in quocumque foro causas civiles, et etiam reos in criminalibus patrocinari (8). Et monachis etiam permissum est ex licentia Prælati monasterii causas tueri; *cap. Ex parte, de postul. 3.* Vetitum est clericis cum mulieribus cohabitare, modo non sint mater, soror, aut amita, aut talis ut nulla ingeri possit periculi, aut scandali suspicio: et insuper arma deferre (nisi esset in itinere) ut dicit Busemb. (9); venationes clamorosas exercere: observa quod dictum est *Tract. 10. n. 72.* et negotiari, vide in *Tract. cit. n. 192. et seq.*

61. Denique notandum vetitum esse clericis et Religiosis ecclesiastica bona cujuscumque loci præ sine assensu pontificio alienare, ut ex *Extrav. Ambitiosa, de reb. eccl. non alien.* Sub nomine *alienationis* veniunt permutare, pignori dare, transactiones facere, cum pars remittitur. Sub nomine *Bonorum ecclesiasticorum ve-*

(6) N. 189. et l. 7. n. 334. ad 5. — (7) N. 385. — (8) Lib. 4. n. 490. et 219. — (9) N. 494.

niunt stabilia, debitorum nomina, annui redditus, jura, et servitutes in bona aliena, greges, et armenta, arbores fructiferæ, et summæ magnæ datæ ad emptiones faciendas stabilium; item veniunt bona mobilia pretiosa, quæ possint conservari, ut bibliothecæ, gemmæ, vasa aurea, aut argentea. Sub nomine *loci pii* intelligitur quilibet locus auctoritate Episcopi erectus, ut sunt seminaria, hospitalia, et confraternitates. Si tamen adesset aliquis fundus donatus Ecclesiæ cum facultate, ut arbitrio administratoris alienari possit, bene potest alienari ab eo sine Pontificis assensu, ut probabiliter dicunt Armul. Bonac. Cov. Croix, etc., nam tunc facultas habetur a domino rei. Sed ita pariter, si dominus prohibuisset alienationem, fundus, etiam accedente Pontificis assensu, alienari non potest nisi talis causa supervenisset, ut præsumere faceret consensum donantis (1).

62. Solemnitates autem pro bonorum ecclesiasticorum alienatione sunt sequentes: 1. Communis consultatio. 2. Episcopi, aut capituli, aut cleri, aut Prælati regularis consensus, et etiam domini, si bona beneficii alienentur. 3. Subscriptio ipsorum consentientium. 4. Assensus Papæ, aut S. C. juxta decretum Urbani VIII. sub die 8. septembris 1624; sed cum pretium esset tenue ex *c. Terrulas, 12. q. 2* conceditur Episcopo, ut per ipsum liceret alienari. Dubitatur autem quodnam pretium dicatur tenue: alii dicunt esse summam inferiorem centum ducatis; sed Delbene cum communi, (ut dicit La Croix) et ut deducitur ex Glossa ad illum textum citatum, dicit esse summam non excedentem 25. scuta aurea, quæ valent 40. scutis Romanis. Subjungit tamen Fagnanus in *cap. Nulli, de reb. eccl. non alienand. tom. 3, n. 26.* in hoc nihil haberi certi, sed summam remittit arbitrio iudicis. Et multi dicunt quod in casu necessari-

tatis, aut evidentis utilitatis, potest Episcopus licentiam dare pro qualibet alienatione (2); sed hoc debet intelligi, cum tempus non suppetit S. C. adire. An autem alienationes factæ sine solemnitatibus, sed ex juxta causa sint non solum illicitæ, sed etiam invalidæ? multi negant; sed alii probabiliter cum Fagnano affirmant, præsertim si deest Pontificis assensus. Dicit La-Croix cum multis aliis quod, cum adest præscriptio 40. aut 30. saltem annorum, tum præsumitur intercessisse assensus pontificius (3). Advertendum quod locatio fundorum ecclesiasticorum, qui quolibet anno fructificant, non potest ultra triennium fieri: beneficiatus tamen, ut dicunt communiter, potest locare bona beneficii, durante sua vita (4).

CAPUT III.

De statu, et officiis nonnullorum sæcularium.

PUNCTUM I.

DE JUDICIBUS ET SCRIBIS.

63. et 64. De iudicibus. Quando iudex potest condemnare, aut inquirere, aut penam diminuere. Et an possit ex scientia privata judicare. 65. Et an possit judicare cum opinione minus probabilis. 66. An possit cum commissario stipendium partiri; et an possit dona acceptare. 67. An possit sibi retinere pretium injustæ sententiæ. 68. De scribis.

63. In hoc puncto multa quæ ad forum spectant, omissa facimus; dumtaxat hic adnotabimus ea quæ conscientiam respiciunt, et quædam forensia principaliora.

64. Et 1. circa iudices, notandum 1. non posse iudicem nonnullum damnare reum, si non est qui accusat; excepto delicto læsæ Majestatis, aut hæresis, aut si reus esset confessus in iudicio coram duobus testibus, aut si delictum esset notorium, aut si publica fama constaret, et indicia sa-

(2) N. 187. nota 6. — (3) lb. v. si autem. — (4) Lib. 4. n. 487. nota 7.

(1) L. 4. post n. 187. de alienat. bon. eccl.